

Johann Christian Eschenbach

Specimen Epitomes Decisionvm Responsorum Atqve Observationvm Ivris Privati Antiquiorvm

Rostochii: Litteris Adlerianis, 1784

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002548950>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 1784

Eschenbach, Joh. Christ.


33

SPECIMEN
E P I T O M E S
DECISIONVM RESPONSORVM
ATQVE
OBSERVATIONVM IVRIS PRIVATI
ANTIQUIORVM.




EDIDIT
D. IO. CHRIST. ESCHENBACH,

P. P. O.




ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS, 1784.

SPECIMEN
EPI TOMES
DECISIONVM RESPONSORVM
ATQVE
OBSERVATIONVM IVRIS PRIVATI
ANTIQVORVM.




EDITIT
D. IO. CHRIST. ESCHENBACH,
P. F. O.



ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS, 1784




Tanta est collectionum, quae decisiones responsa
atque obseruationes iuridicas Collegiorum atque
Istorum exhibent, copia, vt paucis liceat, quae ex
illis vsum praestare possunt, data occasione euoluere atque consulere.
Neque tamen multitudo collectionum vnica ratio est, ob quam iusto
magis negliguntur: paucae sunt, quae non obseruationibus superfluis
abundent, aut prolixitate nimia peccent: et antiquiores praesertim me-
thodo conscriptae sunt, quae non potest non nauseam parere et a lectio-
ne illarum deterrere. Interim negari nequit, inueniri passim in his col-
lectionibus quaedam non omnino negligenda et contemnenda, licet
farragini rerum inanium et superuacanearum, atque praeter necessi-




tatem recoctarum immixta. Exoptavi itaque saepius epitomen, quae amputatis omnibus, quibus carere possumus, selectum eorum, quae adhuc utilitate non penitus destituuntur, brevissime, quantum fieri potest, offerat. Ipse tandem operi manus admovi, eique horas subsecivas, quotquot ab aliis occupationibus vacuae erunt, destinavi. Equidem perspicio, me eidem perficiendo haud sufficere verum si eam, quam spero, laudem meretur, non deerit olim, qui continuationem suscipiat. Ut autem aliorum iudicia, atque monita in usus meos convertere, libroque eum, qui in votis est, perfectionis gradum conciliare possim, e re visum est, hoc specimen in publicum emittere, omnesque, quibus obueniet, ea, quae fas est, observantia rogare, ut, quae corrigenda et emendanda existimabunt, in novis litterariis notanda curent, vel alio modo mecum benevoli communicent. Elegi hanc ob causam auctorem, quem in compluribus bibliothecis adhuc locum sibi vindicare suspicor: postea minus cognitos illis, qui saepius adhuc laudantur, praeferam.

Potiores, quas in elaborando hoc specimine observandas duxi, regulae hae sunt. I. Omisi omnia, quae ad ius particulare territorii vel urbis cuiusdam pertinent. II. Ipsas leges diversarum provinciarum perspectas habere, earum usum hodiernum nosse, iustumque de observationibus illas spectantibus iudicium ferre nequeo: hoc vero tanto magis necessarium est, quum Icti antiquiores saepius ea, quae ad ius germanicum pertinent, minus recte proponant. Commodo lectorum itaque magis consuluisse censui, si omnes huius generis observationes, quae molem libri non parum auferent, neque tamen eandem, quam reliquae, utilitatem omnibus praebent, cuiuslibet

regionis



regionis ICTis separatim colligendas relinquerem. II. Ex iis, quae ad ius commune pertinent, retinendus tantum esse, ex quibus fructus quidam adhuc percipi poterit, dubio quidem caret: ast multum difficultatis haec regula in applicatione habet. Nonnunquam dogmatibus sat notis argumenta non vbiuis obuia subiecta erant, vel ex ipsis rationibus dubitandi in medium prolatis aliqua commemoratione digna videbatur, vel peculiaris facti indoles occurrebat. Quum hic non possit non diuersum esse omnium arbitrium, in dubio eiusmodi obseruationes retinere, quam expungere malui: veniamque me facilius impetraturum spero, si quis vnā alteramue obseruationem superfluum ducat, quam si praetereundo aliquam, quae aliis notabilis videtur, primario libri scopo haud satisfecisse dicar. III. In iis argumentis, quae a pluribus proponuntur, ita versabor, vt prima vice integram thesiam exhibeam, postea vero ea tantum tradam, quae vel prior auctor haud terigit, vel ab eius sententia diuertium faciunt. IV. Asserta cuiuslibet auctoris incorrupta reliqui. Non modo, quae ipse probo, sed et quibus calculum adiicere nequeo, exponam, vt cuiuslibet liceat, quae ipsi placet, sententiam eligere, nec non, si quis singulares aliorum opiniones vel dissentientium rationes cognitae habere velit, hae quoque in promptu sint. V. Leges allegatas omnes euolui, et, si recte laudatas deprehenderem, adieci; perperam enim ab antiquioribus praepriis Iureconsultis ad leges ex fide alterius nec curate semper adscriptas multoties prouocari constat. Eandem curam in scriptis Iureconsultorum allegatis adhibere, nec possibile fuit, nec proficere censui. Omnes itaque deleui. Equidem haec causa fuit, vt saepius effatum quoddam, nec lege nec argumento quodam subnixum, sola auctoritate



ICTI, cuius excerpta dedi, solum se sistat: verum enim vero parum sane intererit, quot Iureconsultorum nomina eiusmodi asserto adscribantur. VI. Ut interim quilibet facili negotio auctorem ipsum et consulere et allegare possit, numeros obseruationum et paragra- phorum libri, cuius epitomen exhibeo, cuilibet assertioni addidi. VII. Antiquioribus collectionibus omnes annuero, quae ad annum huius saeculi XXV. usque prodire. Quum praefiniendus esset terminus ad quem, hunc meo arbitrio relictum esse credidi. MEVII interim *decisiones*, WERNHERI *obseruationes selectae* et nonnullae aliae exceptionem facient, quum in omnibus fere bibliothecis inueniantur. VIII. Primum quidem in mentem venit, ordinem chronologicum seruare: tantae vero difficultates in definienda temporis serie et conquirendis collectionibus, quae primum locum occupare debuissent, suboriebantur, ut ab hoc proposito desistere oporteret. Neque multum incommodi ex turbato temporis ordine metuendum esse, re penitus considerata persuasus sum.

Reliqua Specimen ipsum suppeditabit, quod ex responsis prioribus ERNESTI COTHMANNI enatum est. Comparatione facta iustum operae pretium facile statues: facilius vero, si ipse periculum excerptendi facias.



Obs. I.



Obs. I.

De nullitate matrimonii absque consensu patris contracti.

Parris consensum in nuptiis liberorum in potestate patria constitutorum 1.
Iure Romano necessarium esse, omni dubio caret. Docent hoc complures leges, *pr. I. de nupt. l. 2. D. eod. l. 7. 12. C. eod. l. vn. C. de rapt. virg. (Vol. I. Resp. I. §. 72.)* et, quae nec milites excipi probat, *l. 35. D. de rit. nupt. (§. 693.)*. Immo si pater absens sit, nec, ubi motur, constet, biennii lapsum expectare iubent *l. 10. 11. D. eod. nisi certum sit, cum conditionem non repudiatum. (§. 73.)* Corroborant porro hanc thesin *l. 34. D. eod.* qua sancitum est, generale patris mandatum non sufficere, sed specialem consensum adhuc petendum esse (§. 665.) et *l. 25. C. eod.*, quae, si pater furiosus aut demens sit, eius loco auctoritatem Praefecti urbis aut Praefidis prouinciae exigat (§. 669.) Quumque nostris moribus matrimonium loco emancipationis sit, accedit, quod haec inuito patre fieri non possit (§. 85)

Non obstat 1) effatum VLPIANI in *l. 1. §. 5. D. de exhib. lib.*, 6. concordantia matrimonia non esse turbanda patriae potestatis iure; quum haec lex de matrimonio legitime contracto loquatur, (§. 101.) quod clarius adhuc ex *l. 5. C. de repud.* apparet (§. 103.). Non obstat 2) quod in definitione nuptiarum, quam leges suppeditant, consensus parentum mentio non fiat, quum haec definitio non matrimonia solum liberorum in potestate constitutorum, sed et aliarum personarum complectatur; adeoque, quae prioribus propria sunt, recte omittat (§. 113). Non obstat 3) quod per *Auth. Sed si post. C. de inoff. test.* filia 25 annos egressa sine consensu patris licite nubere dicatur, (§. 395.) quum lex, si eam curate inspicias, hanc facultatem minime concedat, sed tantum exheredationem hac ex causa factam improbet. (§. 398.)

Cum

9. Cum iure Romano conuenit Ius Canonicum. Consensus parentis diserte requiritur in *c. 30. qu. 5. c. 1. 3. 4.* (§. 142. 146.) et virginalis pudoris non esse, maritum eligere, sed parentum potius de sponsalibus iudicium expectandum, docet *c. 32. qu. 2. c. 13.* (§. 147.).
10. Obiiciunt quidem, per *c. 27. qu. 2. c. 2.* consensum eorum, de quorum coniunctione agitur, *solum* sufficere; (§. 153.) sed hoc commode ita interpretari potest, vt cum reliquis canonibus conueniat, si supponas, de eo consultum fuisse Papam. num consensus an copula carnalis matrimonium faciat, (§. 156.). Obiiciunt porro, in *c. 5. X. de cond. appes.* conditionem, si pater consenserit, quam quis puellae fidem matrimonii promittens adiecerat, iustam et canonibus non improbatam conditionem appellari, quod incongruum credunt, si consensus iste necessarium requisitum esset: (§. 159.) sed nihil impedit, quo minus necessarium requisitum in conuentionibus per modum conditionis exprimatur; et praeter conditiones simplices, quae adesse et abesse possunt, etiam necessariae dantur (§. 163.).
11. Derogatum non est his legibus per *Rec. imp.* (seu potius *Decl. sup. dissid. relig.*) de 1548. *Art. 21. §. 9.* vbi dissolutio sponsaliorum et matrimoniorum ob dissensum parentum interdicitur (§. 493.). Non enim simpliciter hanc diremptionem prohibet: sed tantum cauet, ne parentes potestate sua abutantur (§. 494.).
12. Sequitur inde, sponsalia et matrimonia inuitis parentibus celebrata irrita atque nulla esse. Illud enim, quod contra legis prohibitionem suscipitur, nullum est, *l. 5. C. de LL.* (§. 177.) et IUSTINIANVS, qui *pr. I. de nupt.* consensum] patris impetrari iusserat, §. *penult. I. eod.* adiicit: *Si aduersus ea, quae dixi, aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec ma-*
13. *trimonium intelligitur.* (§. 649.) PAVLLVS itaque recte respondit in *l. 11. D. de stat. hom.* eum, qui viuente et ignorante patre de coniunctione filiae conceptus est, iustum filium ei, ex quo conceptus est, non fieri (§. 180.). Pariter Iure Canonico eiusmodi coniugia pro stupris et adulteriis habentur, *c. 30. qu. 5. c. 1. §. 1.* (§. 181.)

Aliter

Aliter etiam iudicari nequit, licet concubitus accesserit. Nemo 16.
 enim per delictum, quorsum concubitus illegitimus merito refertur, con-
 ditionem suam meliorem facere potest: (§. 219.) et si copulae carnali tan-
 tum tribuere velis, opportuna sane occasio leges et iura parentum violandi
 cuilibet suppeditaretur (§. 210.). Permisit *l. 5. C. de repud.* patri ex iusta 17.
 et magna causa matrimonium dirimere, licet ipse antea consenserit, et
 concubitus subsequutus fuerit: quanto magis id fieri poterit, si non consen-
 sit (§. 209.). Et secundum *c. 36. qu. 2. c. 8.* pater a stupratore inuito si 18.
 liam inuitam repetere potest iure patriae potestatis: stupro vero equipa-
 randum est matrimonium illegitimum (§. 206.). Nos quoque mouere non 19.
 debet, quod personae desertae iniuriam fieri clamitent. Hanc, si quae
 sit, sua culpa plerumque patitur, et pater iure suo vtens nemini iniuriam
 infert: ipse potius maxima afficeretur, si concubitus potestatis suae excer-
 citium imminueret (§. 216.).


Obf. 2.

*De iustis causis, ex quibus pater consensum ad matrimonia libero-
 rum denegare potest.*

Quamuis haec quaestio late pateat, et ex iudicis prudentis arbitrio 1.
 potissimum dependeat, (*Vol. 1. Resp. 1. §. 224.*) quasdam tamen,
 quas species proposita suppeditat, recensere haud superfluum erit. Huc sci- 2.
 licet pertinet: 1) Quod consensus patris, cuius iussus sponsalia praecedere
 debet. *pr. l. de nupt.* tempestiue et ab initio non sit requisitus. Hoc enim,
 etiamsi grauiorem dissentendi causam pater non habeat, sufficit, si filius
 20. filia 18. annis maior est: (§. 228.) quoniam quod nulliter et contra leges li-
 beri egerunt, pater comprobare non tenetur, (§. 232.) et vbi ab initio con-
 sensus requiritur, nihil agitur, si ex post facto rogetur (§. 236.). 2) Quod 3.
 procus sit inhonestae vitae, (§. 245.) erro, (§. 248.) homo facinorosus (§. 251.).
 3) Quod leuis et humilis conditionis sit (§. 249.). 4) Quod filiam dolo induxe-
 rit, vt in matrimonium consentiat (§. 250.). 5) Quod verendum sit, ex hoc con- 4.

B

iugio



ingio lites inter parentes et liberos orituras esse (§. 252.). 6) Quod suspi-
cari liceat, procum sub praetextu matrimonii bonis sponsae insidiari (§. 253.).

Obf. 3.

De probatione doli per praesumptiones.

1. Quum quaestio incideret, an in specie proposita praesumptiones doli
sar praegnantes in medium prolatae essent, recte id assertum est his argu-
2. mentis. Maxima fraudis praesumptio militat contra eum: 1) qui in men-
dacio deprehenditur, l. 14. D. de dol. mal. (Vol. I. Resp. I. §. 314.)
3. praesertim, si mendacium in eius commodum vergat. (§. 315.). 2) Qui con-
tractum clandestinum celebrat (§. 322.). 3) Qui in prohibitis versatur
4. (§. 325.). 4) Qui iudici munera offert. (§. 330.) 5) Qui iam antea dolose
egit, l. 4. §. 3. D. de accus. et infc. c. 8. de reg. iur. in 6. (§. 336.). 6) Qui
criminis insimulatus famam non defendit (§. 346.).

Obf. 4.

*Filius secundi matrimonii ius succedendi in feudo non habet, quod
pater ante eius natiuitatem liberis primi thori plenarie refu-
tauit.*

1. Certum quidem et Iure Feudali generaliter definitum est, successio-
nem in feudo filiis nulla ordinatione defuncti eripi posse. I. F. 8.
2. (Vol. I. Resp. II. §. 8.) Vnde, quod vasallus contra hanc legem
fufcipit, consistit quidem, quousque viuit, eo mortuo vero cum iure dantis
resoluitur ius accipientis, (§. 32.) et iis, in quorum praeiudicium vergit,
3. statim ius nascitur cuncta reuocandi, (§. 34.) Verum haec regula exce-
4. ptionem patitur in iis casibus, vbi ipsum ius feudale patri dispositionem
concedit, per quam liberis successio adimitur, (§. 75.) Exempla sugge-
runt exhereditatio ex iusta causa facta, (§. 78.) alienatio, quae propter
5. onera feudi vrgentia et necessitate cogente fit, (§. 84.) et diuisio inter
plures

plures vafallos ita inita, vt vnus totum feudum folus habeat; *II. F. 26. § 4. v. Omnes filii.* (§. 85.) quam reliquorum heredes licet inuiti impedire nequeunt. (§. 93.)

Ad hanc classem quoque pertinet, quae hic potiffimum confideranda 5.
venit, refutatio feudi. *II. F. 49.* (§. 87.) Hanc proximioribus omnibus 6.
fieri debere, nec in potestate vafalli effe, vt vnum pluresue ex filiis aut
agnatis eligat, hisque exclusis reliquis feudum refutet, vulgo quidem ftatuunt: (§. 89.) fed hoc effatum legis auctoritate caret. Priuilegiatus potius 7.
quam contra aeque priuilegiatum iure fuo non vtatur, filiis aut agnatis
contra fratrem aut agnatum aeque proximum reuocatio non permittenda
eft. (§. 91.)

Accedit intuitu liberorum, quod fecundum praecepta Iuris Feudalis 8.
filius femper facta patris praeflare obligetur, (§. 116.) Probant id *II. F. 45. II. F. 51. §. 4.* ex quorum praefcripto filius hereditatem absque beneficio repudiare nequit: (§. 176.) et *II. F. 26. §. 4. v. Titius.* vbi agnatis, fi vafallus filios habens feudum alienet, ius conceditur, vafallo adhuc 9.
viuente feudum alienatum reddito pretio recuperandi; quod sanciri non
potuiffet, fi filiis ius fupereffet, facta patris improbandi et feudum reuocandi, hinc agnatos exceptione iuris nondum nati fubmouendi. (§. 208.)

Haec autem in filio ex fecundo matrimonio et post iam factam re- 10.
nunciationem nato eo magis locum inueniunt, quoniam ipfo iure feudali
II. F. 26. §. 4. v. Mulier. pactum, vt filii prioris matrimonii feudum foli
habeant, fufinetur: (§. 107.) et filius, qui non nifi per patrem ad fucceffionem in feudo venire potest, nullum ius habet, fi tempore, quo conceptus et editus est, patris ius iam exftinctum erat. (§. 167.)


Obf. 5.

Confectio inuentarii liberos in feudo fuccedentes a praeflatione faftorum patris non liberat.

Quam in Obf. praeced. commemoravi, regulae, quod filii in feudo 1.
fuccedentes ad praeftanda facta patris obligentur, limitationem vulgo adii-

B 2

ciunt,



- ciunt: nisi inuentarium fecerint. (*Vol. I. Resp. II. §. 213.*) Sed
2. haec limitatio fundamento caret. Nullus adest Iuris Feudalis textus, qui hunc effectum inuentarii tradat, (§. 214.) quod silentium Iuris Feudalis tanto maioris momenti est, quum compilatores eius effectus inuentarii
 3. secundum Ius Civile haud ignorarent. (§. 255.) Aduersatur porro haec limitatio directe textibus, qui repudiationem allodii absque feudo prohibent, (§. 219.) quod praeceptum ista ratione semper et facili negotio
 4. cluderetur. (§. 256.) Tandem nec Ius Civile eam, qui inuentarium confecit, a praestatione factorum defuncti plenarie liberat, sed statuit tantum, ne quis ultra vires hereditatis teneatur, aut actiones contra defunctum confusione expirent: maiores itaque effectus in feudo habere nequit,
 5. (§. 236.) Eosdem interim effectus, quos in allodio producit, et in feudis obtinere, recte defenditur. (§. 311.)

Obs. 6.

Dispositio matris inter liberos frustra impugnata.

1. Nullius ponderis sunt dubia contra dispositionem matris prolata, quae Notario et testibus, eam de vltima sua voluntate interrogantibus respondit, hereditatem aequaliter inter liberos diuidendam esse, ea tamen lege, vt sumtuum, quos pater praemortuus in studia filiorum et nuptias filiarum elocatarum impenderat, ratio habeatur, et reliqui tantum praecipiant, vt omnes exaequentur. I. Perperam a quibusdam defenditur, testamentum parentum inter liberos priuilegiatum non aliter quam in scriptis
3. condi posse. (*Vol. I. Resp. III. §. 5.*) Pertinet potius *l. 21. §. 1. C. de testam.* etiam ad testamenta verbis nuncupata (§. 6.) et mixta, quae
4. partim verbis indicata partim scripto comprehensa sunt. (§. 7.) Nec obstat, quod *Auth. Quod sine C. de testam.* subscriptionem schedulae, qua voluntas continetur, desideret, (§. 24.) quum haec *Auth.* non de nuncupatio
5. tiuo sed de scripto testamento intelligi debeat. (§. 25.) II. Nihil obest, quod

quod neque Notarius neque testes rogati sint, (§. 11.) quoniam in patre et matre sufficit, si ad factam interrogationem postremum iudicium declarent, (§. 12.) III. Pariter non obest, quod directa heredis institutio deficiat, 6.
 In testamento enim minus sollemni parentum sollemnis institutio non necessaria est, (§. 18.) et iussus de hereditate aequaliter diuidenda institutionem 7.
 virtualiter et implicite comprehendit, (§. 19.) Porro ultimis parentum 8.
 voluntatibus clausula codicillaris ex iuris potestate inest, (§. 20.) hinc eiusmodi dispositio etiam iure codicillorum valet, (§. 21.) IV. Magis 9.
 quidem dubium videbitur, num mater collationem sumtuum studiorum praecipere possit. Hi enim extra collationem sunt, et pater eos animo 10.
 donandi fecisse praesumitur, l. 50. D. fam. ercisc. (§. 27.) ac matrem ea, quae ipsa non erogauit, collationi subiicere posse negant, (§. 28.) Verum 11.
 certi iuris est, quod filii matris suae, cuius heredes esse cupiunt, facta praestare et testamentum agnoscere debeant, (§. 29.) Denique V. 12.
 non obest, quod cistae nuptiales cum accessionibus, quas vulgo *Brautwagen* 11.
 vel *Brautkisten* appellant, extra collationem esse dicantur (§. 42.) Quamuis enim per l. 3. §. f. de mun. et honor. ea, quae pater vni filio- 12.
 rum ad munera et honores suppeditauit, a reliquis patre mortuo postulari nequeant, et per l. 18. C. fam. ercisc. filia rem, quam pater eius nomine comparauit, praecipuam habeat, indeque colligant, vestes et sumtus 13.
 nuptiales viuo parente erogatas a collatione excipi, (§. 44.) hoc tamen nonnisi in vestibus quotidianis et iis sumtibus, qui statim consumuntur, procedit, (§. 46.) et ad vestes pretiosas et sumtus permanentes extendi non 14.
 debet, (§. 47.) quae tanquam additamentum dotis considerantur, (§. 50.) siue in liberos ipsos siue in eorum coniuges impendantur, (§. 48.) Fru- 15.
 straneum quoque est, quod filiae has sibi praecipuas vindicare velint iure operarum praestitarum: quia illas parentibus natura debent, nec pro iis pretium poscere queunt, (§. 58.) Filiae itaque factum matris, a qua lucrum 11
 acceperunt, aequae praestabunt, l. 149. D. de reg. iur. (§. 71.)

In testamento parentum inter liberos aequalitas seruanda est.

1. Magni quidem nominis Icti defendunt, in hoc testamento, quod testamento militari quantumuis maxime priuilegiato fauorabilius adhuc censetur,
2. (*Vol. I. Resp. VI. §. 6.*) necesse non esse, vt aequalitas seruetur,
3. dummodo legitima salua sit: (§. 8.) his moti rationibus. I. Vtilitate careret hoc testamento, si parentes a successione ab intestato ratione quanti
4. recedere non possent (§. 12.). II. Lex, quae parentibus minus sollennem testamentifactionem indulget, indefinite loquitur, hinc ad eas dispositio-
4. nes, quae aequaliter hereditatem diuidunt, restringenda non est. (§. 13.).
- III. Excepta legitima, libera de bonis suis disponendi facultas data est pa-
5. rentibus, *l. 8. pr. C. de inoff. test.* (§. 14.). IV. Liberi, si heredes esse cupiant, facta patris praestare, ergo et eiusmodi voluntatem, sicer aequas
6. partes non seruet, agnoscere debent (§. 16.). V. Confirmant id expressa Impp, rescripta in *l. 16.* et *l. fin. C. fam. ercisc.* obuia. (§. 18.)
7. His tamen nou obstantibus contraria sententia verior videtur. I. Sustinetur parentum inter liberos testamentum minus sollenne solo iure natura-
8. rae et gentium; hoc vero aequalitatem praecipit (§. 19.). II. Solo fauore liberorum eiusmodi testamenta imperfecta sustinentur, (§. 22.) ergo in di-
9. spendium illorum verti nequeunt (§. 26.). III. Testamento sollenni inaequales partes constitui possunt: idem ergo in minus sollenni fieri nequit, (§. 27.) quoniam alias testamenta parentum sollennia ab usu plane recederent (§. 31.). IV. Testamentorum sollennitates eam ob causam introductae sunt, vt omnis fraus euitetur: (§. 32.) haec vero facile locum inueniret in testamento parentum priuilegiato, si illud inaequalem institutionem admitteret, (§. 34.) maxime, quando secundo matrimonio subsequuto coniux alterum importunis et callidis machinationibus a bono et aequo abducit. (§. 35.)
12. Facilis quoque est responsio ad rationes dissentientium, quorum pluri-
13. rimi modicam tantum inaequalitatem intelligere videntur. (§. 44.). Nam I. eiusmodi testamentum praeter definitionem vnciarum plurima continere potest,


potest,

potest praecepta maximae utilitatis (§. 51.). II. Lex, quae in liberorum fa- 14.
uorem solummodo lata est, recte huic fini conformiter interpretatur (§. 54.)
III. Quae liberos ad legitimam vsque excludere permittit, lex citata in 15.
titulo de inofficioso testamento reperitur, adeoque ad inofficiosum tantum
respicit testamentum, quod pietatem laedere non vero sollennitatibus exter-
nis carere supponitur (§. 57.). IV. Factum patris liberi heredes quidem 16.
praestant; sed notanda limitatio, nisi lex ipsa exceptionem faciendo illos
ab hac obligatione liberet, quarum exempla etiam suppeditant querela in-
officiosi et actio ad supplendam legitimam (§. 60.). V. Rescripta supra 17.
allegata de eo casu tantum loquuntur, si liberi ab intestato succedunt, et
pater quasdam res praelegauerit, vel de quibusdam rebus inaequalem
dispositionem reliquerit; (§. 64.) quo casu filii ab intestato succedentes prae- 18.
legata praestare et diuisionem factam seruare iubentur; sed etiam, quum
id per fideicommissum rogati censeantur, quartam detrahunt (§. 65.). Con-
firmat id eorundem Imp. rescriptum in *l. 21. C. fam. ercisc.* (§. 66.),


Obs. 8.

De interdicto Quorum bonorum.

Actori hoc interdicto praelegata quaedam, quae ad feudum ab agnato ad
eum delatum pertinent, repetenti varia obstate videntur. I. Remedium 1.
hoc praetorium agnitionem bonorum possessionis supponit, quae vel solen-
niter, *l. 1. C. comm. de succ.* vel saltim per simplicem testationem apud
iudicem, *l. fin. C. qui adm. ad bonor. poss.* (*Vol. I. Resp. IX. §. 2.*)
et quidem intra tempus lege constitutum fieri debuisset (§. 5.). II. Con- 2.
tra illum tantum datur, qui vel pro herede vel pro possessore possidet, *l. 1.*
D. quor. bonor. (§. 6.) hinc non competit contra eum, qui alium posses- 3.
sionis titulum allegat (§. 7.); in substrato vero reus de his praelegatis inuesti-
turam impetrauit, quae iustum titulum dat (§. 10.). Et quum non ipse pro- 4.
pria auctoritate obiectum litis occupauerit, sed traditionem a ministro pu-
blico iussu domini directi acceperit, iuste possidere videtur, qui auctore iu-
dice



- dice possidet, *l. 11. D. de acqu. vel amitt. possess. l. 23. D. de nox. act.*
 5. (§. 16). III. Interdictum non pertinet ad res singulas, *cit. l. 1. §. 1. D. quor. bonor. (§. 18.)*
- Sed haec dubia ita comparata sunt, vt solutio non adeo difficilis sit,
6. I. Interdictum hoc non tantum directe heredi praetorio, sed vtiliter quoque heredi civili datur: illo casu actor de requisitis successione praetoriae sollicitus sit, necesse est; hoc non aequè (§. 46.). Sufficit potius actorem probasse, se defuncti, rerum, quae petuntur, ultimi possessoris, successorem vel ab intestato vel ex testamento esse, *l. 1. C. eod. (§. 37.)* et rem, quae petitur, tempore mortis defuncti in eius bonis fuisse, *l. 2. C. eod. (§. 42.)*. Quibus probatis, actori possessio adiudicanda est, salvo petitorio (§. 44.). Sunt quidem, qui hoc remedium heredi civili ea tantum lege indulgent, si et is bonorum possessionem agnouerit, (§. 47.) sed heres civilis, qui hereditatem adiit, frustra agnitionem possessionis bonorum superaddit, quum haec non nisi praetoria aditio sit, (§. 49.) et ei, qui iam semel adiit, denuo hereditatem adire opus non sit (§. 50.). II. Praetor edictum concedit contra quemuis vitiosum possessorem, qui possessionis suae vel omnino nullum, vel reprobatum titulum habet (§. 52.). Quorum nominatim meminit, illi exempli loco allegantur, (§. 54.) ab iisque ad casus similes, qui omnes in legibus comprehendi nequeunt, recte concluditur, *l. 12. D. de LL. (§. 56.)*. Ipsa regula, quod interdictum contra eum non competat, qui iusto titulo munitus est, exceptiones adhuc admittit. (§. 60.) Conuenit enim interdictum, quantum ad hanc quaestionem attinet, exacte cum hereditatis petitione (§. 62.). Huic vero a) frustra obicitur titulus in se iustus, sed falsa causa nixus, (§. 63.) imprimis a sciente *l. 13. §. 1. D. de hered. petit.* vel quod idem est, ab eo, qui scire debuit, *l. 19. pr. D. de reg. iur. (§. 65.)*. Hoc in casu proposito contingit, quum reus ex falsa causa, quod scilicet prata ista pro feudo nouo et domino aperto vendicaret, inuestituram obtinuerit; at nunc constet, defunctum quidem haec prata acquisuisse, sed ea lege, vt pertinentiae feudi antiqui sint, (§. 68.) et emtioni hac lege factae consensum domini directi accessisse, qui hanc clausulam approbando ipso facto haec prata defuncto iure feudi antiqui concessit



cessit (§. 85.). Quodsi interim hoc adhuc dubitationem admittere censeatur, saltem tamen b) iustitia tituli altioris indaginis est: huiusmodi autem exceptiones perperam huic interdicto opponuntur, quippe quod amputatis omnibus frustrationibus restitutio subsequi debet, *l. fin. C. quor. bon.* (§. 137.). c) Titulus iste post mortem defuncti demum acquisitus est, qualem contra hoc interdictum non prodesse recte defenditur, (§. 145.) quoniam omne ius, quod defunctus quondam habuit, in heredem transit, (§. 150.) eique concessa sit facultas possessionem vniuersarum rerum apprehendendi, hanc vero facultatem a lege datam iniuria impediatur, qui ignorante herede quidquam, quod defunctum possedisse probe nouit, acquirere audeat, (§. 157.) et hereditatem velut spoliatur (§. 159.). Excipitur tandem d) titulus, qui ab eo proficiscitur, qui ipse interdicto conueniri poterat (§. 161.); qua ratione enim plus concedet, quam ipse habuit? (§. 166.) Interdictum vero recte institui contra dominum directum, si feudum, quod agnati antiquum dicant, praetextu noui et aperti feudi via facti occupat, certum est (§. 164.). Nihil praeterea operatur, quod reus possessionem ad eptus sit iussu domini directi: nam auctore iudice etiam iuste non possidet, qui in possessionem iuste missus non est (§. 182.). III. Prata ista non petuntur, tanquam res singulae, sed ut pars hereditatis et vniuersitatis bonorum (188.). Is vero, qui hereditatem vel eius partem petit, petitionem, egregie monente Vlpiano, non ex eo metitur, quod possessor occupauit, sed ex iure suo, *l. 1. §. 1. D. si pars hered. pet.* (§. 189.).

Obf. 9.


De obligatione ad implenda sponsalia legitime contracta.

Quae in proposita facti specie consideranda sunt, his capitibus absoluntur.

I. Sponsalia celebrata sunt vera et legitima sponsalia de praesenti. I. Nuptias enim de iure Ciuili consensus facit non concubitus, *l. 30. D. de reg. iur.* (*Vol. 1. Resp. X. §. 4.*) quamuis nec instrumenta dotalia


C

confi-




- conficiantur, *l. 9. 13. 22. C. de nupt. (§. 7.)* neque dos constituatur, *l. 11. pr. C. de repud. (§. 8.)* neque in domum vxor deducatur, *l. 65. D. de do-*
2. *nat. int. vir et vx. (§. 9.)*. Idem iuris est in sponsalibus de praesenti, (§. 10.) quae non sunt sponsalia sed ipsum matrimonium, *c. 31. X. de sponsal. c. 3. X. de spons. duor. (§. 11.)* et a matrimonio non nisi tempore et sollempnitatibus
3. differunt; (§. 16.) vnde eiusmodi sponsa iure diuino atque humano pro vxore habetur, (§. 12.) et infauorabilibus et indifferentibus iura vxorum consequitur, (§. 13.) Hunc consensum in praesenti negotio ratione sponsi interuenisse, de sponsa enim eiusque parentibus dubium non est, facile demonstrabitur. Non solum enim a) parentes sponsae adiit, eamque sibi desponderi petiit, (§. 22.) et b) monitus, vt rei magnitudinem perpenderet, in sententia sua persistit, (§. 16.) quae geminata declaratio enixam voluntatem ostendit, (§. 17.) et allegationem erroris excludit, (§. 18.) sed et c) sponsam in nomine SS.
5. Trinitatis a patre desponsatam accepit, eidemque d) in fidem matrimonii aurum atque argentum donauit, quae arrhae datio, licet sola sponsalia non probet, (§. 35.) praesumptionem tamen facit, (§. 37.) et concurrentibus aliis
6. argumentis plene probat, (§. 36.) praeterea quoque e) dotis promissionem et desuper confectum instrumentum acceptando perseverantiae indicium praebuit, (§. 39.)
7. II. Sponsus omnino cogi potest, vt fidem datam compleat. Nam obligationi semel constitutae renuntiare nequit, *l. 5. C. de obl. et act. l. 12. C. de contr. emt. vend. (§. 49.)* et quod primum est voluntatis, postea
8. est necessitatis, *c. 21. de reg. iur. in 6. (§. 50.)*. Sponsalia vero nec vtriusque consensu dirimi possunt (§. 51.) : quod iam ex iure Romano, *l. 5. pr. C. de repud.* deriuant, (§. 52.) et iure Canonico confirmatum est,
9. *c. 31. X. de sponsal. c. 1. 3. 5. X. de spons. duor. (§. 61.)*. Sunt quidem, qui ex *Const. Imp. Leonis 89. et Const. Imp. Alexii Comm. c. 3. 4.* deduxerunt, diremtionem sponsalium fieri posse, quamdiu benedictio sacerdotalis nondum accessit; (§. 153.) sed hoc argumentum exigui est momenti, quum hae constitutiones apud nos receptae non sint, adeoque nec vim legis habeant, (§. 156.) et, si curatius illas examines, hoc assertum minime probent (§. 160.)

III.



III. Exceptio, quod sponsa semper splene laborare soleat; nullius est ponderis. Quamvis enim sponsalia rescindenda sint, si morbus alterius finem matrimonii impediatur, (§. 91.) vel in altero morbus contagiosus et insanabilis lateat, ita comparatus, ut si alter de eo certior factus esset, sponsalia non contraxisset: (§. 94.) affectio tamen splenis, quae sanari potest, et substantiam matrimonii non evertit, huc non pertinet (§. 95.).

IV. Deficiens matris sponsi consensus sponsalia non vitiat. Non quidem assentior iis, qui parentum consensum necessarium haud existimant (§. 98.). Etenim licet iure Civili matrem de consensu rogare necesse non sit, l. 2. D. de rit. nupt. (§. 99.) hoc tamen iure Divino immutatum est, (§. 100.) et a Canonistis occasione c. 2. qu. 2. c. 26. prolixius docetur, eius consensum saltem de honestate requiri, (§. 105.) unde eum regulariter abesse non posse merito affirmamus. (§. 106.) Ast in hoc casu regula ista exceptionem patitur. Namque a) rationes generales, quibus necessitas parentum consensus impetrandi innititur, in eo quaerendae sunt, ne reverentia parentibus debita violetur, (§. 111.) et liberi in re gravissima, quae postea retractari nequit, inconsultius versentur, (§. 113.) aut hominibus malitiosis via aperiat, liberos e parentum potestate eximendi, et in damnum irreparabile praecipitandi (§. 112.). Hunc vero marer trans mare domicilium habens iam ante plures annos e potestate dimisit, et res suas gerere iussit, (§. 113.) quod etiam fecit, civitatis iura adeptus est, et per biennium propriam oeconomiam iam instituit, (§. 121.) tandem vero anno aetatis tricesimo sponsam sibi elegit (§. 114.). Hic itaque rationes istae non quadrant: matri iniuria illata non est, quae ipsa filium res suas sibi habere voluit (§. 115.); et circumventionis facilitatem maturior aetas excludit (§. 116.). b) Parentes sponsae nesciuerunt, sponsi matrem adhuc vivere, (§. 117.) huiusque ignorantiae probabiles rationes habuerunt, (§. 129.) et ipsius sponsi assertis, ut hoc credant, inducti sunt (§. 120.). Iniquum autem foret, sponso dolosum silentium prodesse (§. 131.). c) Parentibus quidem, quorum consensus neglectus est, ius competit, talia sponsalia dirimendi: (§. 132.) at filius ipse sub hoc praetextu a fide data recedere nequit, (§. 133.) quoniam, qui propriam



- priam turpitudinem allegat, audiendus non est, *l. 5. C. de serv. pign. dat.* (§. 135.). d) Nuptiae patre licet absente et ignorante contrahi possunt, si verosimile est, cum conditionem non repudiaturum, *l. 11. D. de nupt.* In specie oblata autem ratio non apparet, cur mater contradicere possit, (§. 138.)
- c) Si is, qui sponsalia inuitis parentibus contraxit, 25 annis maior sit, in foro ea non dissolui receptum est, nisi iusta dissensus causa probetur, (§. 139.) cui sententiae quodammodo fauet Ius Civile, *Nov. 115. c. 3. §. 11. Auth. Sed si post. C. de inoff. testam.* (§. 140.). Eiusmodi autem causa pariter deficit.
18. V. Frustra sponsus minatur, euentus tragicos subsequuturos esse, si inuitus compellatur. Sponsalia quidem de futuro hanc ob causam rescindi solent, non vero, quae de praesenti contracta sunt (§. 152.). Durum forsitan videbitur, inuito personam, quam cance et angue peius fugere asseuerat, conglutinare: (§. 144.) sed magis durum adhuc foret, ei concedere, vt sub hoc praetextu fidem datam fallat et in perfidia ista perseueret; (§. 146.) maxime quum, qui priori sponsae fidem non seruauit, nec secundae eam seruaturus credi possit (§. 148.). Praeterea experientia docet, saepius eiusmodi matrimonia, licet ab initio quodammodo coacta, postea concordia et felicia fuisse (§. 150.).
19. VI. Quum sponsae innocenti neque cum sponso nocente transigere, (§. 211.) neque hunc quamuis perfidum propria auctoritate deserere liceat, (§. 212.) cassatio horum sponsalium impetranda est a iudice competenti (§. 214.) praecua causae cognitione (§. 219.). Petitum eo dirigendum, vt sponso pendente lite alia sponsalia contrahere interdicit, *c. 4. X. de spons. duor. c. 10. X. de sentent. et re iud.* (§. 252.) et cognita causa sponsum refractarium, si praesens sit, carcere cogat, sin absit, tribus edictis euocet, (§. 242.) et si haec effectu careant, sponsalia legitime contracta suo imperio dissoluat, simulque sponsae innocenti potestatem alii nubendi largiatur, sponso vero aliud matrimonium prohibeat, quamdiu sponsa deserta vixerit (§. 240.). Tempus, quo carceri includatur, vel tria edicta promulgentur, arbitrio quidem iudicis relictum est: negotium tamen
ultra,

ultra, quam par est, non differatur, et intra annum a die sententiae, qua sponsus conuentionem adimplere iubebitur, finiendum est (§. 250.)

VII. Quodsi sponsus commoueri non possit, ut obligationi suae satisfaciatur, sponsae eiusque parentibus omnino iniuriarum actio competit (§. 265.). Sponsam enim sine iusta causa deserens atque ludificans eam maxima iniuria afficit, (§. 260.) eius existimationem apud multos grauiter laedit, (§. 258) et hominibus maleuolis calumniandi occasionem praebet, (§. 261.) Prius vero haec actio intentari nequit, quam de innocentia sponsae et perfidia sponsi plene constet; adeoque non nisi finita lite principali instituenda est (§. 266.).

Obs. 10.


De iure collectandi bona immobilia extra territorium sita.

Negatiua sententia verior videtur (*Vol. I. Resp. XI. §. 18.*) 1.
 Nam I) quae quis in diuersis territoriis possidet, bona oneribus loci, ubi sita sunt, obligantur: nemo autem vnus rei causa duplici onere grauandus est (§. 24.). II) Iurisdictio, quae collectarum fundamentum est, territorii limitibus concluditur, (§. 43.) atque extensiuam interpretationem tanto minus admittit, quum collectae odiosae sint (§. 48.). III) Collectas indicens possessori praediorum certam formam modum et quantitatem praescribit, atque ipsa praedia collectanda aestimat. (§. 56.) haec vero in alieno territorio, ubi generalis et specialis iurisdictio deficit, fieri nequeunt (§. 57.) IV) Collectae eam ob causam soluuntur, quod bona sub imperio collectantis praesidio atque securitate fruantur: (§. 59.) haec vero extra territorium ab indicente haud praestatur (§. 60.).

Nec nos mouere debent rationes dissentientium, ut eorum sententiam amplectemur. Obiiciunt quidem I) collectas dici onera, quae personis pro rebus imponuntur, (§. 1.) adeoque non res, et ubi illae sint, respicere, sed personas ipsas obligare et afficere (§. 2.). Sed licet negari nequeat, personas iis obligari, haec tamen obligatio non nisi respectu rerum adest,

C 3

(§. 119.)



(§. 119.) et reale tantummodo vel saltim mixtum onus est (§. 125.). Ob-
 7. iiciunt 2) cuiuslibet bona, ubicunque sita sint, non nisi pro vno patri-
 monio haberi, (§. 3.) et vnā rem diuerso iure non censeri, (§. 5.) praeser-
 tim quum bona tanquam accessorium principalis sui, id est possessoris, na-
 8. turam sequantur, (§. 6.) Sed regula ista fallit a) si diuersa ratio contrarium
 suadeat, (§. 128.) b) si locorum diuersitas patrimonia diuidat, *l. 27. pr. D.*
 9. *de iur. dat.* (§. 129.) aut c) ipsa negotii natura id desideret (§. 130.). 3) Ini-
 quum dicunt, ciues negotiatores pro mercibus, quas in prouincias extra-
 neas exportant, vel ex iisdem aduehi curant, collectas soluere, nisi etiam
 reliqui pro bonis extra territorium sitis collectarum onus subeant (§. 14.).
 Ast merces sunt res mobiles, quae semper ex iure domicilii aestimantur
 10. (§. 163.). 4) Quodsi de iure communi dubium superesset, hoc sta-
 tuto, quo collectae tales indicuntur, tolli dicunt, (§. 15.) ast statu-
 tum extra territorium statuentis non ligat (§. 176.).

II. Accedit in casu proposito, quod partim ex causa locali collectae pro-
 ueniant, quo casu non nisi de eo patrimonio, quod in isto loco est, tributa
 12. soluenda esse constat, (§. 88.) partim autem afferatur, ex iis ciuibus, qui
 bona extra territorium possident, quosdam nunquam quosdam autem se-
 13. mel tantum aliquot annis abhinc eiusmodi collectas persoluisse. Immuni-
 tas enim a collectis 30 annorum praescriptione acquiritur, (§. 90.) si modo
 14. durante hoc spatio praedia quis a collectis immunitas possedit (§. 92.). Quam
 alii limitationem addunt, quod hoc in iis tantum casibus procedat, ubi
 collectae indictae et a possessoribus recusatae sunt, atque post hanc recusa-
 15. tionem 30 anni elapsi, (§. 93.) fundata non videtur (§. 97.). Haec im-
 munitas iis quoque merito tribuenda, qui semel et ante aliquot annos
 collectas persoluerunt. Licet enim nonnulli ex hoc vnico actu renun-
 ciationem priuilegii deducant, (§. 101.) verius tamen est, amissionem par-
 riter atque acquisitionem exemptionis non nisi lapsu triginta annorum per-
 fici (§. 107.).


Obf. II

Obs. II.

Indicia veneficii ad torturam haud sufficientia.

Pluribus laborat vitiis processus inquisitionis, cuius acta mihi exhibita sunt, inter quae maximum, quod de corpore delicti nondum constet, licet inquisitio specialis iam inchoata et inquisitus carceri inclusus sit. Quum vero de eo potissimum iam quaestio sit, num indicia occurrentia ad torturam sufficient, negatiua his rationibus extra dubitationis aleam posita erit.

- I.) Fama, quae fallax tantum indicium praebet, et a maleuolis sparsa aut fraude inimicorum diuulgata esse potest, (*Vol. I. Resp. XII, §. 165.*) requisitis necessariis caret, quoniam non constat, eam ante coep-
tam inquisitionem iam adfuisse, (§. 167.) nec testes personas nominatim in-
dicent, a quibus rem audierunt (§. 172.).
- II. Fuga pariter non sufficit, a)
si post accusationem vel inquisitionem iam institutam suscipitur, (§. 194.)
b) si ob metum partialitatis (§. 197) et violentiae fit, (§. 198.) c) si fugiens
sponte reuertatur vel ad citationem emanatam se sistat, (§. 199.) d) si eam
ob causam fiat, vt iudex superior adiri possit (§. 202.).
- III. Mendacium,
quod commissum esse dicitur, factum respicit, quod ab hoc delicto re-
motissimum est, (§. 209.) et ante multos annos contigit, vnde facile fuit,
propter diuturnitatem temporis errare (§. 210.). Ita quoque comparatum est,
vt inquisito nec obesse nec prodesse queat (§. 213.).
- IV. Conuersatio cum
veneficis non attenditur, si inquisitus nesciat, eum, quocum conuersatur, ve-
neficum esse, (§. 218.) aut iustas et probabiles conuersationis causae alle-
gare valeat (§. 219.).
- V. Quod inquisitus venena emerit, praeparauerit et
domi habuerit, indicium omni exceptione maius non est, quia venena
multiplici vsui inferuiunt (§. 245.).
- VI. Quod pira et poma, quae ve-
nenosa existimantur, cuidam comedenda exhibuerit, nullius est momenti,
quum medici testentur, huic venenum propinatum non esse, (§. 249) nec
mors subsequuta sit (§. 251.).
- VII. Nominatio a socio facta non pertinet
ad



ad delictum ipsum sed ad factum ab hoc remotum, (§. 260.) et omni veritatis specie destituitur (§. 261.). Eique fides haberi nequit, quum extra torturam, sine qua malefico non creditur, (§. 272.) non interrogatus a iudice (§. 274.) et iniuratus (§. 276.) ista narrauerit.

9. Accedunt manifesta innocentiae signa. Inquisitus semper lucusque bonae existimationis fuit, (§. 282.) et innocentiam in aliis diffamationibus iudicialiter probauit, (§. 297.) porro ex centum fere testibus interrogatis vix quatuor sunt, qui mali quidquam de eo audiuerunt (§. 300.). Pariter spontanea ad carcerem reuersio bonae conscientiae luculentissimum documentum exhibet (§. 301.). Si quae itaque suspicio e quibusdam indiciis supra nominatis adhuc adsit, ea his argumentis prorsus debilitatur.



Obs. II.

a veneficii ad torturam haud sufficientia.

laborat vitii processus inquisitionis. cuius acta mihi exhibita
quae maximum, quod de corpore delicti nondum constat,
specialis iam inchoata et inquisitus carceri inclusus sit. Quum
imum iam quaestio sit, num indicia occurrentia ad tortu-
negativa his rationibus extra dubitationis aleam posita erit,

quae fallax tantum indicium praebet, et a maleuolis sparsa
corum divulgata esse potest, (*Vol. I. Resp. XII. §.*
s necessariis caret, quoniam non constat, eam ante coe-
em iam adfuisse, (§. 167.) nec testes personas nominatim in-
rem audierunt (§. 172.). II. Fuga pariter non sufficit, a)
nem vel inquisitionem iam institutam suscipitur, (§. 194.)
partialitatis (§. 197) et violentiae fit, (§. 198.) c) si fugiens
vel ad citationem emanatam se sistat, (§. 199.) d) si eam
ut iudex superior adiri possit (§. 202.). III. Mendacium,
esse dicitur, factum respicit, quod ab hoc delicto re-
(§. 209.) et ante multos annos contigit, unde facile fuit,
atens temporis errare (§. 210.). Ita quoque comparatum est,
obesse nec prodesse queat (§. 213.). IV. Conuersatio cum
nditur, si inquisitus nesciat, eum, quocum conuersatur, ve-
218.) aut iustas et probabiles conuersationis causae alle-
9.). V. Quod inquisitus venena emerit, praeparauerit et
indicium omni exceptione maius non est, quia venena
nferuunt (§. 245.). VI. Quod pira et poma, quae ve-
tur, cuidam comedenda exhibuerit, nullius est momenti,
tentur, huic venenum propinatum non esse, (§. 249) nec
fit (§. 251.). VII. Nominatio a socio facta non pertinet
ad

